



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 6. De Euxini diuisione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 6. De Euxini Maris diuisione.

PARTEM Euxini Mæotida dixisse veteres, pluribus apud Stuchium leges. Reliquum in duas partes secernitur : quare de eo Strabo lib. 2. dixit hoc mare *τροποι πινά διθάλαττον* per duo Promontoria, *Cornu Arietis* in *Tauricâ Chersoneso*, & *Carambin* in *Asiâ Minori*, *leuâ*que appellari *Πέλαγος ἀπὸς ἐσπέραν*, *dextram* τὸ *Εὐόν*. Et quia minus excurrit *Carambis* quàm *Cornu Arietis*, ideò dicitur ab antiquis non malè repræsentare formam arcus Scythici; de quo vide Strabonem lib. 2.

CAPVT DECIMVM.

De Mari Caspio.

NOMEN habet à *Caspiis* populis, diciturque etiam ab *Hyr- canis Hyrcanum*. Non minùs fuisse quàm Ponticum *Clitarchus* docet apud *Plinium* lib. 6. cap. 13. *Ptolemæi* positiones euincunt ampliùs esse. *Agrippa* apud *Plinium* in *longitudinem* ad ccccxc. millia passuum, in *latitudinem* ad ccxc. porrigit. De ambitu non audet statuere *Plinius*, & in numerum passuum, quem ex aliis affert, dubio procul error irrepsit.

§. 1. De naturâ Caspij Maris.

QUINQUE de naturâ huius maris Philosophi, & Geographi obseruant.

Primum : eius aquam dulcem esse : Ita *Plinius* lib. 6. cap. 17. qui citat eius rei testes *Alexandrum Magnum*, & *Varronem*. Idem quoque *Solinus* cap. 22. Ideòque dicebatur eius ὕδωρ ὑπεργλυκν.

Secundum : serpentes aluisse : sic *Polycletus* apud *Strabonem*. *Curtius* lib. 7. cap. 7. *Diodorus Sic.* lib. 17. qui addit illos ingentes esse.

Tertium : pisces colore à nostris differre : ita *Diodorus*, & *Curtius*.

Quartum : *Incœdus* esse belluosum, sic *Mela* lib. 3. cap. 5. *Belluis* magis quàm cætera refertum, ideòque minus nauigabile.

Q iij